

Castillo *lib. 5. cap. 110. ann. 47.*
 Sic intellecta Iavoleni
 sententia in verbis, quæ
 ad substitutionem facere
 possunt: resolutio de qua su-
 pra numero quarto limita-
 tur primo, ut procedat tan-
 tum, quando testatur dum
 conderet testamentum vo-
 luit substituere, & ob impe-
 dimentum superveniens non
 potuit; nam si substituere te-
 stator decrevit, tempore ta-
 men testamenti cum potuif-
 set non fecit, quamvis pro-
 betur antea testatorem vo-
 luisse tales adijcere substitu-
 tiones declarationesve, si
 moriens non fecit, non est im-
 perfecta voluntas, nec testa-
 mentum imperfectum ratio-
 ne voluntatis, *l. 2. ff. de hered.
 instituend. l. cum pater. 78. §. vi-
 cos. ff. de legat. 2. l. si testamentum,
 8. C. de instit. & substit.*
 Limitatio hæc probatur
 ex eo, quod tacita voluntas
 non spectatur si non transivit
 in dispositionem *l. quidam
 cum filium 46. vbi gloss. ff. de hæ-
 red. instituend. l. quoties, §. tantum-
 dem. ff. eod. vbi notant Barto-
 lus, & Immola, cum multis*
 Castillo *lib. 4. cap. 11. per tot.*
 Noguero *allegat. 26. nu. 79.*
 quia non sufficit velle testa-
 torem, si explicitè cum po-

tuisset voluntatem suam non
 declaravit, Cancorius *lib. 1.
 var. cap. 4. num. 75.* non enim
 prodest imaginatio, quod
 testator ita voluerit, & ita
 senserit. *l. labeo, §. idem Tubero,
 ff. de supelect. legat.* Socinus
conf. 104. num. 8. vol. 1. nec cir-
 ca interpretandam volunta-
 tem est divinandum. Baldus
conf. 235. in principio vol. 5. unde
 non sufficit, quod testator
 voluerit fideicommissum
 inducere, nisi voluntas tran-
 siverit in dispositionem, *l. Gal-
 lus, §. quidam rectè ibi: ut eo casu
 valeat, qui ex verbis concipi pos-
 sit, ff. de liber. & post. num. 1. si
 quis in fundi vocabulo, ff. de le-
 gat. 1. l. ex verbis, C. de donat. int.
 vir. & vxor. Ripa in l. heredes
 mei, §. cum ita num. 17. & 31. ff.
 ad Trebel. Decianus *conf. 205.
 num. 5.* Fularius *de substitutio-
 nibus quest. 382. num. 23.* Et ita
 licet testator substituere vo-
 luisset, si tamen potuit, & non
 fecit, credendum est prioris
 voluntatis pœnituisse, & vo-
 luntas illa consideranda non
 erit, cum non fuit posita in
 executione, secus si propter
 impedimentum non potuit
 exprimi, nam tunc imperfe-
 cta, & incompleta dicitur,
 & imperfectum ratione vo-
 luntatis reddet testamentum.*

Hanc

Hanc limitationem, &
 doctrinam licet non ita exor-
 net, probat Ruinus *conf. 15. n.
 19. lib. 2.* vbitenet, quod ne-
 cesse est probari voluntatem
 continuandi eodem tempo-
 re, & actu testandi, & quod
 quamvis amplius disponere
 voluisset testator, potuit hoc
 fieri in codicillo vel nova
 alia dispositione: unde nulla-
 tenus imputandum aut di-
 cendum imperfectum, quod
 antea dispositum erat. Cur-
 tius Iunior *conf. 12. nu. 1.* Idem
 iudicatum in Rota refert
 Gratianus *disceptat. for. c. 550.
 num. 49.* vbi inquit, quod non
 sufficiunt tractatus præcedē-
 tes nisi probetur de tempo-
 re, & actu testandi. Castillo
*lib. 5. cap. 74. & lib. 4. cap. 21. n.
 73. 74. 75.* vbi citat Alexand.
 Decium, Baldum, & Præti.
 requiritur enim, ut testamē-
 tum dicatur imperfectum
 ratione voluntatis, quod in
 ipso actu testandi appareat,
 quod testator voluerit ali-
 quid plus proferre, & mor-
 bo vel morte præventus non
 potuerit, ut dictum est supra
cap. anteced. Et idè tractatus
 præcedentes non probant im-
 perfectionem voluntatis, quia
 multoties testantes in ipso
 actu testandi non retinet vo-

luntatem, quam explicarunt
 in tractatu. Cephalus *conf.
 294. num. 39.* Menochius *conf.
 96. num. 97. lib. 1.* & est trita
 regula, quod multa tractan-
 tur, quæ postea non fiunt, *l. si
 voluntate, C. de rescind. vendit. l.
 sciendum, §. dictum. ff. de adilit.
 edict. l. eleganter in principio, ff.
 de condit. indebit. l. si ex causa, §.
 nunc videndum. ff. de minoribus.*


Burgos de Paz *in l. 3. Tauri. 1.
 part: num. 224.* cum traditis
infra cap. 16. ex nu. 25. vbi hæc
 latius tractantur, ex quibus
 prædicta doctrina certa, &
 iuridica videtur.

Limitatur secundo reso-
 lutio dicta, quando testator
 post factum testamentum
 aliquot dies super vixit, cum
 enim potuisset substitutione
 exprimere, & non fecit, præ-
 sumitur pœnituisse. Sic ex
 Curtio, Menochius, *d. conf.
 224. num. 20. ibi: Ita probat. l. si
 quis, ff. de testamentis considerā-
 do eam à contrario sensu, ut eam
 considerat Curtius Iunior in conf.
 12. nu. 2. vers. tertio ad idem.* In-
 quit Iavolenus *in d. l. si quis, quod
 si testator destinavit adscribere
 substitutionem, quam non scrip-
 serat, cū instituit heredem, & cum
 vellet substitutum nominare ob-
 mutuit: inquit (inquam) Iavole-
 nus, eam totam dispositionem im-*


M per-

perfectam remanere. Ergo à sensu contrario, si iam absolvit, & post aliquod tempus supervixit, & nihil scripsit, testamentum illud perfectum manet. Et ratio est, quia quando supervixit, & non adscripsit illam substitutionem, quam adscribere destinaverat, videtur illius destinationes pœni-

tuisse: atque ita cum eo absoluto à se testamento decedere voluisse. Hucusque Menochius, qui in comprobationem alia refert. Cui limitationi, & Doctrinæ facit traditum infra cap. 12. num. 14. vbi si casus se obtulerit, recurrendum est pro exornatione.



CA



CAPUT XI.

AN SIT IMPERFECTA VOLUNTAS, & testamentum ratione voluntatis imperfectum, cum adscripturus fuisset testator condiciones institutioni, siue alijs rebus iam dispositis, & non adscripsit ob impedimentum; & de interpretatione textus in lege quoties, 9. §. tantumdem. ff. de heredibus instituendis cum lege si testamentum, 8.

C. de institutionibus, & substitutionibus.

SUMMARIVM.

Conditiones si adscribere voluit testator institutioni, vel alijs rebus iam dispositis, & morte præventus non potuit, imperfecta est voluntas, & testamentum imperfectum ratione voluntatis. 1. & 2. L. quoties, 9. §. tantumdem, ff. de hered. instituend. traditur. 3. L. si testamentum, 8. C. de instit. & substit. antinomiata traditur. 4. Bartoli interpretatio ad §. tantumdem refertur. 5. Antonij Gomezij interpretatio ad idē, 6. Duareni. 7. Fachinei. 8.

Interpretatio iuridica ad prædictam antinomiā ex Fachineo, & Antonio Fabro refertur, & probatur. 9. Menochij opinio circa omissionē conditionis refertur, & impugnatur. 10. Imperfecta est voluntas testantis non solum si testator condiciones adscribere voluit circa heredem institutionem, sed etiam si alijs rebus iam dispositis condiciones, aut qualitates adijcere decrevit, & non potuit. 11. Omissio conditionis vitiat institutionem, quando noluit testator

M 2

tor